

HENDRIK III, Hertog van Limburg, bevestigt de toekening,
aan de abdij van Stavelot van de tienden van Hendrikkapelle,
haar geschonken door Walraven II. 1172.

In nomine Sancte et Individue Trinitati. Henricus Dei gratia comes de Arlo, Stabulensi ecclesie in perpetuum utiliter ea que a principibus vel quibusque nobilibus, ecclesiis Dei pro salute animarum suarum et spe post hanc vitam misericordie consequende conferuntur, scripto ad memoriam posterorum transmittuntur, ne benefacta aut oblivione sepeliantur aut successores eorum, qui pie sua contulerunt, pravorum consilio, aliquando immutare facta precedentium vel a statu suo amovere presumant; ea propter notum esse volumus, tam nostris successoribus quam futuri evi hominibus quod post multiplices labores et gravissimos motus bellorum, cum in villam nostram quae Henrici-capella nuncupatur devenissimus, occurrerunt nobis fratres Stabulenses, Henricus venerabilis ejusdem ecclesie prior cum aliquantis fratribus suis, qui in conspectu Theodorici comitis de Hostade, et aliorum multorum, tam liberorum quam hominum nostrorum qui illuc convenerant, gravem apud nos querimoniam deposuerunt de ejusdem Parochie quam pie memorie avus noster Dominus Walrannus dux una cum nobili conjuge sua Domina Judith pro salute omnium progenitorum suorum, et totius successionis sue Stabulensi Ecclesie ad sustentationem et usus pauperum, quorum ibi maxima confluenta est, cum omni sua integritate contradiderat, ostendentes nobis signa progenitorum nostrorum et certa scriptorum et privilegiorum munimenta. Conquesti sunt igitur nobis, quod coloni nostri hortatu quorundam pravorum, eis decimam novalium, et terrarum, que prevetustate neglecta erant, et in quibus rubi concreverant quas aliis pro sterilitate pretermisissis incolebant, eis subtraxerant et eandem decimam in horreum nostrum inferebant. Nos autem his auditis, non sine admiratione simul et indignatione, aliquantum conticuimus, tum quia sine nostra conscientia, id temere factor fuerat, tum quia ellemosynas predecessorum nostrorum, potius augere quam minuere intendebamus. Habito igitur cum liberis et fidelibus nostris consilio, villicum nostrum et decimatores qui hanc vim intulerant advocavimus, quibus graviter de tanta infidelitate oppressis, tandem cum favore et benevolentia eorundem, et omnium qui aderant, decimam quam injuste Stabulenses amiserant de cetero eis juste possidendam reddidimus et contradidimus cum ea integritate, ut eam tam in silvis quam in novis terris, tam in his que nunc incoluntur quam in his que postea colende sunt, absque aliqua contradictione pacifice in evum possideant, illis exceptis, qui ab antiquo jure beneficii suas decimas possidebant. Et ne super hoc aliquis scrupulus, seu quelibet questio de cetero suboriri posset, nomina eorum qui hoc beneficium habebant huic scripto inseri jussimus. Hildricus de Scahs et Bonifacius de Hukelebach beneficium decime sue habent in eadem villa Hukelebach. Godescalcus de Menebach beneficium decime sue habet in eadem Villa Hukelebach. Henricus et sui participes in Fokoldi valle. Hildricus et Hubertus in terra de Vivario. Arnoldus apud Rivam beneficium decime sue habet, que ei a Henrico avunculo suo per successionem provenit. Si qui autem interim concessione villicorum nostrorum decimas suas retinue-